

1491

C O D I C E S

1492

Codicem ambit Membrana continens inhibitionem et citationem factam a *Nicolao Ep. Ferrentino S. Palat. Apost. caussarum Auditore*, impetrante *Joanne Ep. Luthomisl. ad Ecclesiam Pragens. capitulariter postulato*, aduersus *Sbinconem*, qui se gerit pro *Archiepiscopo Prag.* et datam *Romae apud S. Petrum anno 1404. indiēt. 12. die Ven. 16. m. Maji, Pontificatus Bonifacii IX. anno 15.* Cum nominibus Testium et Notarii *Conradi de Helderunge*, lectamque *Pragae die 9. m. Julii.* Item cum nominibus Testium et Notarii *Matthiae quondam Duchonis de Sladna.* De qua Lite apud Scriptores *Bobemos*, quos quidem volvi, nihil inveni.

CCCCI.

882 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 203. f. per duas columnas probe descriptus, et rubricis enotatus Exemplar est alterum *Sermonum Johannis Wiclefi de Sanctis*, ita decurrens, ut illud *Cod. praeced.* initio ducto a *Natali Domini* in illud: *Exiit edictum a cesare Augusto &c. Lucae 2.* et Sermone auspicante: *Continuando sermones sanctorum cum sermonibus dominicis &c.* Ad calcem legitur: *Expliciunt ewangelia de sanctis*, et continenter *fol. 142. p. 2.* adjunguntur, ut *Cod. cit. XXIV.* illi *Sermones* mixti, quorum primus in illud: *Caro mea vere est cibus &c. Job. 16.* incipit: *Hoc ewangelium aludit fundacioni sanctissimi sacra-*

menti eukaristie &c. Nullibi Auctoris nomen.

Duobus locis Codicis occurrit *Μονογραμμα* e literis *H. G. P.* implexum liquore purpureo, cui additur: *Vidi 1530.* Thecae item posticae mandatum est *Απογραφον* Testimonii, quo *Hinco* (*Henricus*) dictus *Berka de Duba Purgrauus Pragensis et Hinco senior filius ipsius* recognoscunt: *Johannem Portulanum Portae superioris castri Pragensis*, quod uocatur in *Hradczanie*, sanum mente et corpore *Portulaniam suam cum omnibus Juribus, Pertinencijs ac utilitatibus suis rite et rationabili vendicionis titulo vendidisse Andreae genero suo pro certa summa pecunie.* Id, quod ratum habent et confirmant. *Datum prage anno domini M. CCCXLVII. in octaua festi Ephisanie domini.* En *Portulani* nomen non solum a *Portu*, aut *Portando* derivari, ut *Cangio* et *Carpentario* visum, sed etiam a *Porta*, unde *Portulanus* idem, quod modernis linguis *Pfortner*, *Portiere*, *Portier*, *Porter*, et eadem formatione, qua *Castellanus*.

CCCCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 904 XV. Folior. 236. 4. non una manu conscriptus, rubricis distinctus et ad *Bobemiam* pertinens haec complectitur: *I. Job. Wiclefi Dialogum*, qui infit: *Cum idemptitas sit mater fastidij &c.* ut saepe alias. Ad calcem aperte: *Explicit*